

1

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

1

1170 novembre, Ind. III, Monopoli.

† In nomine domini nostri Iesu Christi regis ac salvatoris eterni. Salutifere incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo, quintoque anno regni domini nostri Guilielmi, Dei gratia rege prudentissimo, invictissimo et semper triumphatore, Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, mense novembris, tertia inditione.

Ego Graus filius ... (sic) civitatis Monopoli, coram Bisantio notario, filio Maragdi Marci et Basilio, filio Marvati iudicis, testibus subscriptis, declaro quoniam habeo et pertinet mihi terra inculta foris huius affate civitatis in loco Paterni, iuxta clausuriam olivarum Guilielmi Luogi prenomine, fili (sic) et nunc placet et abtum est mihi Ursoni, filio dicti Guilielmi ipsa terra inculta donare per hos fines, sicut incipit ab ipsa clausuria olivarum in parte boree per primam crucem quam fecimus de foris ipsius clausurie in fibbla et per ipsam crucem vadit rectus in aliam crucem quam fecimus supra quadam semitam que est in eadem parte boree et vadit rectus de cruce in cruce usque in aliam semitam et per eadem semitam descendit per ipsam in parte maris usque ad crucem factam supra eandem semitam in predicta parte boree et advolvit de cruce in cruce usque ad quidam parietem anticum qui est in parte maris et per eandem parietem descendit in parte austri et ascendit rectus in eadem clausuriam olivarum. Et sicut placitum et abtum mihi visum fuit coram ipsis testibus per fustem, ut mos est, dedi et tradidi et donavi eidem Ursoni predictam terram, sicut per hos predictos finibus concluditur, sicut est cum omnibus suis pertinentiis et hutilatibus et cum omnibus infra se habitis et contentis, cum terris et tramitibus et cum omnibus arboribus generis cuiuscumque, cum superioribus et subterioribus

suis, cum trasitibus et exitibus suis usque ad viam publicam, quatinus deinceps in antea in ei et eorum heredibus sit potestatem et dominationem habendi et dominandi et possidendi et quicquid exinde omnia quod voluerint faciendi, secundum suam et suorum heredum voluntatem, sine omni mea et mearum heredum et cuiuslibet hominum requisitione et contrarietate. Et pro affirmatione huius mee dationis, traditionis et donationis affate mox recepi ab eodem Ursone pro inde pro integro launegild mantellum laneum cum serico mihi bene placente. Ea propter * ego qui supra Guilielmus * Ursone quatinus ego et mei heredes semper stemus in hac facta datione traditione et donatione affata et eam eis ab omni summissa persona defensores * cum eis proinde quocumque modo causante. Quod nisi fecerimus et per causam vel per legem eos exinde miserimus, obligo me et meos heredes quinque solidos aureos bonos regales eis composituros totidemque in dominico et in antea quod promissum est totum eis perficiamus, qualiter prelegitur, districto me ipso mediatore meisque heredibus quod eis licentiam dedi pignorandi per omnia pignera et causas meas legitimas et inlegitimas sine callumpnia et appellatione, dum eis omnia fuerint a nobis adimpleta, ut hoc brebe continet supra.

1

2

3

possibile un mancato scioglimento in FF per Guilelmus edicti FF

Località a sud di Monopoli (BA), ove insiste anche un agiotoponimo Santa Lucia.

Quod, quia interfuit, Cafisanus notarius scripsit.

† Bisantius notarius Maragdi Marci filius

† Basilius Marvati iudicis